



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An & quondo per revocatione, renuntiatione, & defensione
appellationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

S E C T I O IX.

De cessatione, aut revocatione, renuntiatione, & defensione appellationis,

§. I.

An & quomodo per revocationem Judicis, & per renuntiationem cesset, & tollatur appellatio?

SI Judex (sive ordinarius ille sit, sive delegatus) qui partem litigantem gravavit, & à quo ratione hujus gravaminis appellatum fuit, postea ab hujusmodi gravamine desistat, illudque revocet, cessat appellatio. *c. Cum cessante 60. h. t.* quia cessante causâ (finali scilicet & principali & quidem adæquate, non autem tantum impulsiva) gravamine scilicet cessat etiam effectus, appellatio scilicet prout supra etiam insinuatam, & de interlocutoria intelligendum, quam revocare potest Judex à quo, intra decendum ad petitionem partis adversæ, vel ex officio etiam postea, (cùm respectu Judicis non transeat in rem judicatam) etiam in vitis partibus & pendente appellatione. Cessat etiam & tollitur appellatio per renuntiationem, sive hæc expressa sit, sive tacita, expressè scilicet desistendo ab appellatione: quod potest facere, qui appellavit, si res adhuc sit integra, tacitè verò actum contrarium appellatione exercendo intra debitum tempus non preceado Apostolos, aut non introducendo appellationem &c. quibus in casibus sumptus, si quos fecit, ra-

tionem appellationis talis adversarius, retinere debet, qui appellavit, & de appellatione jam cessat.

§. II.

Quomodo procedendum sit, si appellatio sit deserta? & an prosecutio appellationis deserta impediat, ne sententia transeat in rem judicatam?

IN causis quibusdam, electionum, & aut alijs beneficialibus, in quibus superior non tantum ad instantiam procedere potest, sed ex officio procedere potest, proinde Judex appellationis proprio iure & ex officio procedere, de meritis causæ & impedimentis oppositis cognoscere, & super quibus appellatum fuit, etiam appellans appellationem deseruit, & que enim talis desertio officio Judicis præjudicat, cùm sint diversi modi procedendi, per viam actionis ad instantiam partis, & ex officio Judicis, in quamvis unus tollatur, non tollitur tamen alter modus, prout sumitur ex *Constitutis 45. h. t.*

Neque prosecutio appellationis impedit, quominus sententia, à qua appellatum fuit, transeat in rem judicatam, ac si ab ea appellatum non fuisset, si deserta fuit talis appellatio, juxta *Constitutum 6. h. t.* Sicut enim per lapsum temporis ad appellandum constitutum, si intra illud tempus non appellatur, ratificatur prior sententia & in rem judicatam transit, ita manet illi sententiæ suum robur, etiam si intra tempus debitum ab ea appellatum fuerit, si tamen postea deserta fuit appellatio.